

Ratio: Quia prius notum fuit unum singulare, quam multa, & multa singularia prius innotuerunt universali. Intellige canonem de ordine inventionis, non doctrinæ. Nam syllogismus *ναὶ ἐξ οχήν* sic dictus, priori loco debet tradi; quia inductio definitur per syllogismum; & inductio ante exemplum; quia inductionis mentio fit in doctrinâ de exemplo, quod à quibusdam vocatur *inductio contracta*, sicut enthymema ab iisdem dicitur syllogismus *contractus*.

Cap. 12. Dilemma.

Sequitur syllogismus redundans, qui est syllogismus imperfectus constans propositionum plurium, quam fit in perfecto syllogismo, coacervatione.

Ejus canon est:

Syllogismus redundans ex diversis syllogismis est compositus, quorum unus dicitur principalis, alter minus principalis.

Principalis syllogismus continet & probat thema primarium. Minus principalis est, qui thema secundarium continet; & illud vel probat, vel illustrat. Dicitur vulgo prosyllogismus, vel *προστυλογισμός*. Estq; vel approbativus, qui ad confirmandam aliquam syllogismi principalis præmissam adhibetur; vel amplificativus, qui ad illustrandam aliquam præmissam adhibetur.

Syllogismus redundans est dilemma, vel sortites.

Dilemma.

Dilemma est syllogismus redundans, qui factâ disjunctione membrorum, utrumvis concedatur, adversarium constringit.

Dicitur aliâs *syllogismus cornutus*, quod utrinq; adversarium quasi cornibus petit: item *syllogismus crocodilinus*.

Tres illius sunt proprietates, de quibus totidem canones:

1. *Propositio dilemmatis constet ex membris immediate contrariis.*

Hinc